



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Amantii Episcopi Rvthenensis in Gallij: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Sacrum eius corpus translatum est à S. a Quinctiano eiusdem successores qui floruit anno Christi 507. & reliquis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

eius utique meritis à peccatorum & corpori-  
vinculis diuinitus absoluendum. Euigilans ho-  
mo, ilico dictis eius obaudiens, iussa protinus  
adimplet: & ecce opinione celerius dissiliens  
ferrei nexus, charta resignata nullum habet  
scripturæ vestigium. Ad sonitum cadentium  
catenarum accurrunt æditui, & complures  
lij: qui cognita re stupentes cuncta ad Regem  
referunt Ladislaum. Is conuocato concilio, de  
beato Emerico sanctorum catalogo adscriben-  
do, cum episcopis & regni proceribus cōfere-  
Indicitur triduanum cunctis ieiunium, quo  
transacto, sacrum Emerici corpus honorificè  
eueatur: multaque diuinitus miracula eodem  
elevationis die atque deinceps edita sunt.

*Præclarum  
miraculum  
ad tumulum  
eius.*

*Eueatur sa-  
crum eius  
corpus.*

## VITA S. AMANTII EPISCOPI RV-

*thenensis in Gallijs: Ex ea qua est apud V. P.  
Laur. Surium. Sacrum eius corpus transla-  
tum est à S. a Quinctiano eiusdem successore  
qui floruit anno Christi 507. & reliquis.*

*Vide Notat.  
C. Baron. in  
Martyr.  
Rom.  
a De eod.  
Tom. 6. An-  
nal.  
4. Nouëb.  
Patria eius.*

*Fir Episco-  
pus.*

**S**ANCTVS Amantius Rutena vrbe oriun-  
dus, in primæuo ætatis flore, abruptis se-  
culi laqueis, militiam Christi suscipiens,  
vitia quibus pulsatur humana fragilitas viri-  
liter calcauit. Sed enim beato feruens propo-  
sito, & eximiorum meritorum splendore con-  
spiciuus, sacerdotij culmen & sublimis cache-  
dræ sedem emeruit: gessitque mentem fastigio  
honoris sui parem. vnde & à Domino miracu-  
lorum insignium operatione protinus reddi-  
tur spectabilis.

Et quidem primò, cum in prædicta vrbe Pre-



fes quendam nefarij facinoris reum poena pa-  
 tibili damnasset, beatus Antistes peccatoris  
 miseratus, eius à Præside vitam petit; non impe-  
 rat: etiam iteratis precibus. Spiritualia igitur  
 arripit arma sacer Præful; ad cellam properat;  
 terræ prostratus suspiria geminat; petit à Do-  
 mino: quod Præses negarat. Cum ecce protin-  
 nus Præsidentem diuina vindicta prosequitur  
 miris siquidem modis toto corpore affligitur:  
 syncope repente percussus. Ad cellulam bea-  
 tissimi viri concurrat familia: Antistitem euo-  
 cac, supplex ut sanet Herum. Quid multis? Ex-  
 audit illos pius Pastor; reddit Præsidi salutem:  
 ac recipit ab eo damnatum.

*Coruscet ex-  
 inijs mira-  
 culis.*

*Primum.*

*Præses ino-  
 bediens viro  
 sancto diui-  
 nitum puni-  
 tur.*

Non longo post tempore, cum haud procul  
 ab vrbe carperet iter vir sanctus, cernit ingentem  
 gentium multitudinem ad immolandum dæ-  
 monijs conuenisse, propè eminentem quoddam  
 simulachrum. Igitur eorum deplorans cæcira-  
 tem, pio hortamine reuocare pertentat à sacri-  
 lega impietate; verum frustra: aded namque  
 furoris stimulis in iniuriam viri sancti sedi-  
 tiosum vulgus exarsit: ut vix à verberibus tem-  
 peraret manus. Quid faceret beatus Pontifex;  
 ad solida cõfugit præsidia. Triplicat vota pre-  
 cesque; donec densis obductum nubibus cælum,  
 terribili sonitu fulmen emittit, execrandum  
 simulachrum feriens, diuidens, dispergensque.  
 Aliud simile quoque in foro vir sanctus pio  
 zelo accensus deiecit atque confregit. Vnde  
 exacerbata sacrilegæ plebis multitudo, in vl-  
 tionem numinis sui confurgit, ac lymphatico  
 furore succensa beato Pontifici minatur exi-  
 tium. Misso itaque nuntio in Ruthenem, aduo-  
 cant

*Alterum.*

*Fulmine  
 dissipatur  
 demonis si-  
 mulachrum.*

*Simile con-  
 fringitur à  
 S. Amanio.*



cant quendam eo tempore natalium splendore, opibus ac autoritate ceteris præstantioris contractis ilicò seruorum auxilijs eò celeriter contendit, dira & extrema S. Amantio minitās. Iamq; aderat, cum vir sanctus paulo antè in medio portæ orationem terræ prostratus fuderat: & ecce eodem in loco miro stupore hæfere bijuges, & vt insensibilia riguere signa. Tum vir ille insignis miraculi nouitate percussus, virum Dei per vnū ex suis rogat, dignetur benignus ligata soluere. Haud mora: sacerdos aduenit; carpèto deuoluitur persecutor, adheret sancti pedibus; peccatum fatetur: petit remedium. Vix verba compresserat, & animalia, quæ vt duræ cautes riguerant, cælitus recepta mobilitate, præceptis obediunt.

*Aliud.*

Fur quidam hortulū sancti viri nocte cōcubia irrepsit: oleribusq; direptis abire festinat; sed diuinitus retinetur: nullo remeanti patente exitu. Igitur terris luce reddita, beatus senex vnū è fratribus vocat, mittensq; in hortulum mandat, vt quem illic errandum reperisset, ad se adduceret. Adductus ilicò criminofus, furtum in medio projicit, pedes complectitur sacerdotis. Is pietate plenus indulget crimen; donatq; furtum: benignaque adhibita correptione, hominem in pace dimisit.

*Simile de fure.*

Ceterum dum his alijsq; virtutum fulget miraculis, beatum gloriose cōsummationis tempus aduenit. Sed cum fracta iam æuo membra deficerent, afflictū emortuumq; corpus onus abstinentiæ roborabat; & quod natura negauerat, meritum conferebat. Fuitq; tantus  
fidei



fidei in eo feruor, ut infatiabili ardore, quo plus corpori distractionis intulisset, inferre plus cuperet: & ita erant augmenta meritorum eius, incitamenta profectuum. Amor quippe Dei reficere animum potest, satiare desiderium non potest: sed magis magisque cum hauritur inflammat. Lucunditate enim, sui excitat appetitum, sed non facit de satietate fastidium. Igitur beatissimus Amantius rebus tandem humanis exemptus, felici transiit de hoc mundo migravit in regnum caelorum. Illic nunc interest choris Angelorum: hic fulget claritate meritorum. Illic interpellat pro famulis voce supplicii: hic tuetur famulos virtute sublimi. Illic petit: hic praestat. Illic vota fundit: hic votis respondet. Porro beatus Quintianus successor eius egregius, sacras eius reliquias transtulit in Basilicam auctiorem redditam: in eius honorem prius excitatam.

*Admirabilis sensus feruor.*

*Sententia memorabilis.*

*Felicissimus eius obitus. Sicut intercedunt pro nobis in caelis.*

*Translatio reliquiarum eius.*

*2. Eius vitam reperiet lector 13. Nouemb.*

*\* al. Galationis & Epistemi.*

*Vide Tom. 2. Annal.*

*C. Baron.*

*5. Nouemb.*

*Parentes S. Galationis.*

**MARTYRIVM SS. \* GALATIONIS**  
 & Epistemi: Ex ea qua est per Metaphrasten. Passi sunt anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio. Sede vacante: Decij Imperatoris anno primo.

**E**MESA nobilis in primis Phoeniciae est ciuitas. In ea Clitophon genere insignis & diuicijs nulli ciuium secundus, cum coniuge sua Leucippe splendide quidem & gloriose degebat, sed vna in re omnium miserrimus, quod vxore sterili nullam omnino posteritatis spem sibi relictam videret. Qua de causa multis